



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Desiderabilia super aurum & lapidem præciosum multum, & dulciora
super mel & fauum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

Desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum,
& dulciora super mel & fauum.

Hebræus non habet lapidem preciosum multum, sed *רב* paz *רב* rab, id est, obrizum multum, nam & Hieronymus, obrizum preciosum multum, dixit. Volunt enim, paz, aurum esse nobilissimū, quale est Iudicum, seu ophirifum, ab ophir & Heula nepotibus Eber, Gen. x. Vnde Gen. ij. dicitur: Aurum terræ Heula esse optimum. Hinc Salomon. ij. Paralip. vij. Per mare rubrum naues in Ophir misisse dicitur & aurum attulisse. Idem de Iosaphat. iij. Reg. xxij. Vsu tandem praxalate, uocatum est obrizum quasi ophirifum. Iob. xxxj. Si putauit aurum robur meū, & obrizo dixi, fiducia mea. Isa. xij. Preciosior erit uir auro & homo obrizo mundo. Vbi ponitur *חֶרֶם אֹפִיר* cherem *אֹפִיר* ophir. In Iob autem solum, cherem, de quo psal. xv. in titulo dictum est. Ita in multis locis apparet hunc interpretem, qui quis fuerit, data opera timuisse omæologiam, id est eiusdem uanam iterationem, quam nugationem uocant, & sæpius autoritate propria suum sensum attulisse.

Omisit etiam dictionem integram zuphim, quod cum fauo hebræus habet, sicut Rab, cum obrizo, hoc modo, Aurum & obrizum multum, mel & fauum redundantē, sicut Hieronymus retulit, forte quod & hic omæologiam uitare uoluerit. Nam zuph, quod hic pluraliter dicitur, zuphim, & fauum significat & inundantiam, ut absurdum sit uisum, fauum fauorum dicere. Ego tamen Hieronymū sequor, ut quæadmodum, priore parte aurum & obrizum multum, ita posteriore, mel & fauum multum, seu copiosum Prophetā dixisse credam. Iam de fauo quæstio est, cū ea dictio, quæ est *נֹפֶת* nopheth, magis aromata putetur significare, licet & pro fauo accipiatur. Vbi iterū ego, mea temeritate suspicor, Prophetam, sic uoluisse cum melle communi copulare mel illud nobilius quod fauum dicimus, sicut cū auro cōposuit obrizum nobilius.

Probat autem hic uersus ea quæ dixi, scilicet psalmum loqui de lege domini per Euangelium facta amabili, seu qualis est in oculis non operantium, sed credentium, sicut enim amanti est desiderabilis super omnes thesauros, & dulcis super omnes uoluptates (quod per copiam auri & faui iactat) ita est etiam immaculata, fidelis, recta, electa, pura, uera, conuertens animas, sapientiam præstans paruulis, lætificans corda, illuminans oculos, permanens in æternum iusta in omnibus. Contra, ante Euangelium & fidem, odienti, est prorsus per omnia cōtraria. Grande itaq; miraculum spiritus & mutationis huius dextræ excessi, ut ea super omnia placeant, quæ prius super omnia displicuerunt: Quid enim ardentius homines quærent, quæ diuitias & uoluptates: & tamen maior est cupiditas spiritus in lege domini, quæ sit carnis in diuitijs & uoluptatibus suis.

Denique quo magis clareat uirtus spiritus in isto miraculo auxelin facit in comedanda laude legis domini. Primo enim, mitissima est lex docendo, licet & hoc ipsum impatienter ferat caro, quæ audire sibi aduersa ægre sustinet, Durior est, dum ut testimonium testificatur, & de nō parentibus docet, fidelitatem exigens, magis dum uarijs iustificationibus molestat, Crescit deinde & præceptum sit, saeuere urgens & instans, Post hæc terret & timore cōcutit, Tandem fit grauissima iudicio suo, penitus ad occidendam & damnandam carnem procedens, hic enim caro omnium impatientissima est, & cum legem in omnibus prædictis odiat & exhorreat, in hoc ultimo summe odit & exhorret.

Et tamen

Et tamen spiritus ueniens, hæc omnia non solum facit tolerabilia, sed amata & desiderabilia & dulcia, super omnia quæ desiderari possunt, & super omnia quæ delectari possunt.

Ex his omnibus arbitror patere, quod in signis sit propheta David, quod habeat propriam phrasim, propriasque figuras & tropos, tam uerborum quæ sententiarum, qui uerbis apertissimis, tam profunda & occulta, breui compendio tradere potuit, ut nemo consequi possit. Habemus ergo fructum Evangelicæ prædicationis: Amorem iustitiæ, & odium iniquitatis, id est, plenitudinem omnium legum, quæ cum nullis uiribus, nullis operibus, nullis legibus, nullis studijs, obtineri possint, superest, ut desperatis omnibus, per solam fidem CHRISTI, ad ea perueniamus.

Fructus Evangelicæ prædicationis.

Etenim seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.

Hebræus, pro custodit ea, dicit, Prouidus uel cautus uel doctus est in eis, quod Hiero. uertit, Docebit ea, sed, propius noster, qui dicit, Custodit ea, iterum sequente dictione motus, ad præcedentis diuinãdam potius significationem quæ proprie reddendam, more suo, Parum tamen distat. Puto autem ad omnia prædicta pertinere, quod dicit, non tantum ad iudicia. Quamquam reuera, quid est lex, dum paulatim proficit, in testimonium, iustitiæ, præceptum, timorem, iudicia, quæ hæc ipsa iudicia, id est, mortificatio ueteris hominis: in qua una re, lex consummatur, destructo enim peccato, impleta est lex, & sola iustitia dominatur, quare una cura est, his qui sunt serui dei, ut in eo, quod potissimum & nouissimum est legis, id est iudicijs, exerceant sese & prouidi cauti que sint ueteris fermenti obseruatores, qua sententia & Paulus Gal. v. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixi fixerunt cum uitijs & concupiscentijs eius.

Iudicia, id est mortificatio ueteris hominis,

Nec frustra sane admonet, ut cauti obseruatores sint, propter astutiã serpentis, quæ facile seducit incautos, ut de Corinthijs timer. Apostolus, Prudẽtia enim carnis, quæ sit neque, & quæ habeat oculum nequam, quæ subtili studio quærat quæ sua sunt, & sancta specie sese ornet, nulla satis potest obseruatione deprehendi, de qua pulchre Taulerus in suis sermonibus, ubi toties naturã arguit astutissimam in suis affectibus, quibus omnibus resistitur iudicijs & lege domini, donec ple ne occidatur & destruat corpus peccati & absorbeat mortale hoc, a uita immortalis. Interim quantumlibet spiritu seruiamus, condelectemur legi dei, tamen corpus quod corrumpitur aggrauat animã, ut carne seruiamus legi peccati, & hæc causa est, ut cautos nos esse oporteat obseruatores iudiciorum dei, quibus damnatur illa seruitus peccati.

Cautos esse oportet circa corpus,

Et quamquam hoc molestum sit & laboriosum, tamen exercitatis per ea pacatissimus fructus iustitiæ reddetur, ut Hebræos. xij. docet Apostolus. Et hic David: In custodiendis illis retributio multa. Est enim merces operi tuo, ait per Hieremiam: Quæ omnia dicuntur in consolationem laborantium, non in mercennariam: præmiorum ac seruilium cupiditatem stabiliendam, qualis est eorum, qui opusculis quibusdam suis, deum nescio quem negotiatorem faciunt, cum nihil profus in iudicijs domini laborare uelint. Sic & i. Corinth. xv. consolatur laborantes, Sciens, quoniã labor uester non est inanis in domino. Oportet enim seruos dei scire, sese placere deo in labore suo, ne deficiat atque cõtristato spiritu desperent, cum ille uelit hilares gratuitos operarios in lege sua, placentes autem deo, in euitabiliter sequitur, etiam si hoc non quærant, merces.